



LIBRARIUS POSUIT

IO: BAPTISTAE
LAVRI PERVSINI
CLERICI SEMINARII

L E O N I D O S .

Siue

DE VICTORIA ADVERSVS ATHILAM
LIBRI. III.

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

POMPEIVM ARRIGONIVM

S. R. E. C A R D I N A L I S .



PERVSIAE, Ex Typographia Vincentij Columbarij.
Superiorum permissu. M. D. C. V.



P O M P E I O A R R I G O N I O S. R. E. C A R D I N A L I.

IO: BAPTISTA LAVRVS S. D.



SATIS inter omnes constat, Arrigoni Illu-
 strissime, rerum pæne eundem esse modum
 eandemq; rationem, quarum vel Ingenium,
 vel Natura parens est, atq; educatrix. Terra
 ex minutissimis seminibus truncos ramosq;
 procreat, quillætos & vberes fructus ferant;
 vsque dum simul cum Luna senescant, & ex-
 ficcati tempestiuè cædantur. Extra vnum
 obitum, quæ ab ingenio proficiscuntur, educanda illa, & pro-
 uehenda; vt in tempore maturescant, ferantq; fructus non præ-
 cocis, sed tempestiuè ac solidæ indolis. Proinde quantum qui-
 dem lenta arbor in quoque anno profert, vt æquo animo capit
 Agricola; ita & tantundem vnusquisq; ab suo ingenio: finat fer-
 ri illud per suos gradus, nec plus ab eo exigat, quam dando
 fit; seponat autem, quod identidem dat; daturum subinde ma-
 iora, vbi adolescat & perficiatur. Hac vna ferme ratione,
 Cardinalis eruditissime, vtî frequenter soleo aduersus eos, qui
 mearum virium imbecillitatem cum suarum firmitudine meti-
 entes, vellent; exilia poëmatum argumenta abijcerem, & ali-
 quid aliud maioris operæ ac molis aggrederer; quo cum (qua-
 si alijs poëmatijs satis iam alieni iudicij vada attentauerim) ve-
 luti robustiore naui, per hoc vastum scribendi pelagus vela fa-
 cerem. mihiq; ob oculos illud in primis habendum esse: pusil-
 la quæq; a tempore absorberi, grandia non item: frustra spe-
 randum; vbi multa, sed per exigua scripseris, diesq; vt fit, ea
 deuora-



deuorauerit; futuram aliquam Metim, quæ ipsi Tempori pharmacum potandum præbeat; cuius vi, quæ antea in os ingesserit, illico euomat: quod Saturno accidit, qui ex se natos filios comesse, fingitur solitus. Certum tamen est mihi, quidquid isti dicant, nolle tenuitatem meam plus nimio onerare: eo autem usque in experiundo esse; dum ætas ingenium obfirmet, frequens scribendi vsus informet. Quo fit, vt ego æque amem hæc pusilla, atq; alij grandiora: neq; adeo refugiam illa offerre magnis Viris; qui profecto, si rem perpenderint, tantillam quidem arbitrentur; animum vero longe maximum. Quamobrem, humanissime Arrigoni, hoc quidquid est munculi, dum certe maiora & grauiora in tuo nomine emittere liceat, eo vultu velim suscipias, quo me quoq; ipsum ab hinc decennium (si fas sit apud claritudinem tuam obsequij mei memoriam recordari primam) scio abs te perhumaniter fuisse susceptum. Vale. Perusiæ ex Sem. Id. Maij. c10. 10. cv.

DE LEONIDE, ET AQVILA ILLVSTRISSIMI ARRIGONII.

ERIDANI ad ripas Siclor LEO depulit Hunnum:
Vndis Eridanus nobile mersit opus.
 Non tulit hoc LAVRVS; sed raptum gurgite ab imo
 Erigit, & docta cantat in Orbe Lyra:
 POMPEIOQ; offert; cuius, pernice volatu,
 Ales ad atheros transferat altæ polas.

Annibal Valerianus Sem. Cler.

DE

DE S. LEONE PONT.
ET AQUILA, INSIGNI ILLVST.
CARDINALIS ARRIGONII.



GRATV LOR a gemino Laurum custode teneri,
Excubiasq; trahant hinc Aquila, inde Leo.
Non poterat ramis insidere fortior Ales,
Non ad radices fortior esse Leo.
Fortunata Arbor, si te terrena fatigent
Tadia, sublimis tadia terget Avis.
Transferri si ad sacra velis plantaria; eunti
Dux eadem, & Custos magnus in axe LEO.

F. Christophorus Laurus Acad. Inscnsatus.

DE S. LEONE ET PAVLO
QVINTO PONT.

EVEHIT Etruscum Victoria lata Leonem,
Hungaricumq; Istri pellit ad arua Ducem.
Crede pio Vati; norunt namq; omnia vates:
Romuleo LAVRVS de Patre cantat idem.
Efferet Ausonium felix Victoria PAVLVM,
Thracem Caucasèi trans iuga montis agens.

Fulvius Corradus Sem Cler.

FVL.

FVLVII CORRADI
CLERICI SEMINARI.

Argumentum:

IN Latium Hungaricas queritur capere arma cohortes,
Magnus in Vrbe Leo qui numina voce precatus,
Hostilem auertant ab septem collibus ensem,
Aetherias properè rapitur sublimis ad arces.
Hic Roma omnigenas clades, & funera deflet.
Lucida biga vehit Petrum Paulumq; per auras.
Pannonicas numerant classes, franantq; furentes,
Dum Calum repetant, caelestiaq; agmina cogant.

IO: BAPTISTAE
LAVRI PERVSINI
ACADEMICI INSENSATI.

LEONIDOS.

Liber Primus.



VSONIDVM columen, seruatoremq;
Latini
Nominis, Hungarici calcantem signa
Tyranni,
Mens Superis innixa, canit. Dicite
canenti
Calicolæ, qua quisq; manu pugnaue-

rit. olli

Vester honos, vestris exercitus excitus oris
Militat; huic torui rabies prætenditur Hunni.
Vos Phaëtontæi me ad littora sistite fluctus,
Et spectare iuuet; quæ linguæ flammea vibrans
Spicula, Romanus miti stetit ore Sacerdos,
Et grandem aduexit valido de Rege Triumphum.

PAVLE adsis: si te superæ sacer ordo Pronæ
Euehit ad Primi fatalia scepra LEONIS,
Imperijq; apicem; vestram si carmine puppim,
Assero ab incurfu Getici maris; adspice porrò
Remige me, quantum pergat: dumq; omnia cursim
Expedio, ab tuta fige in me lumina prora.

A 4 Eridani

Eridani in gremium placido quâ labitur amne
 Mincius, agnato referens sua cornua ponto :
 Sacratis Marti exsuuijs, positoq; parumper
 Puluere bellorum; truculenta ab cæde reuersus
 Italidum, fessa cum classe recesserat Hunnus
 Athila, & excussis aciem requiescere ab armis,
 Iusserat. Interea socias arcessere vires;
 Mox Martem grauiore manu, maioribus ausis
 Aggredi, & impostas Latio perrumpere portas :
 Sanguine, Thybri, tuum conspergere littus, & vndas
 Mole graui premere armorum, bustisq; cadentum ;
 Atq; agere exanimem sub sordida vincula Romam.

Fama vigil, Scythici mentem complexa Tyranni,
 Remigio alarum muros ingressa Quirini;
 Quæ clades Vrbi immineant, quanto igne calescant
 Hungaridum mentes, latialem absumere gentem,
 Nunciat. Vt vero primum penetravit ad aures
 Antistes Romane, tuas: quamquam omine Magno
 Eminent in dubijs tibi mens, quam, nescia vinci,
 Firmat magnanimi clementior ira Leonis,
 Hæc tecum, iustis irarum molibus ardens.

Et pereas sic, Roma, licet, seuaq; Getarum
 Compede constrictam, fas est te Marte cruento
 Concidere, & medijs dirâ ingemuisse sub armis.
 Mitto autem clades, incendia feda, calenti
 Passa quo; melior fureret cum flamma per artus:
 An non & Gothicos toties experta furares,
 Pronior in senium? quid adhuc in puluere seruas
 Barbaricas strages, Alarici immane furentis
 Exemplum? nunc Pannonici ne ferre recusa
 Vincla Ducis, falsoq; animam solata sereno,
 Excipe supremos moritura in viscera luctus.

An vero tantum te commeruisse ruinae?
 Tot digna vrgeri iaculis? scelera impia, toti
 Nota Orbi, plenis abs te manantia venis;
 Calicolum turbata fides, pulsusq; frequenter
 Religionis amor; stolidoq; ardore Gigantum
 In summum tela acta Patrem; tot crimina, lapsus,
 Stringentem gladios, teq; ad grauiora vocantem
 Supplicia, iratum contra exciucere Tonantem.
 Sic altè terræ crassus qui tollitur humor,
 Et caliganti prætexit inania fumo,
 Visus solarem nebula confundere vultum,
 Solis inardescit radijs; tum versus in imbrem
 Tecta quatit, pessumdat agros, pontumq; per omnem
 Aut agit in scopulos, aut funditus obruit Alnos.

Ne tamen in Fidei puppim malus ingruat imber,
 Quæso Pater; neu sint aliorum crimina tanti.
 Meq; gubernaculi moderantem fræna, procella
 Implicet, & fracta iaceat cum classe magister.
 Sat mihi, sat Mundo notum tibi robora quanta,
 Et quam non meritis par sit vindicta, sed usq;
 Inflicto longè maior clementia damno.
 Respice res Orbis, nostros miserare labores,
 Infestumq; Ducem, rabida cum stirpe Getarum
 Venturum excidio Fidei, pelle, oro, repelle,
 Nudatumq; Vrbi remoue a ceruicibus enses.

Quod si non prona mea vota intelligis aure,
 Rerum Christe sator; saltem ne spreueris illa
 Tu PAVLE, & tu Barionide, quibus ordine ab omni
 Delectis, sacram pinum commisit habendam,
 Cui præsum: tibi, Petre Simon, qui triste furentes
 Longè ageres nimbos, & tuto flamine, lente
 Transtra mouens, medijs firmares pondera mali:

Tu vindex, gladio metuendus, turbine ab atro
 Flammarum eriperes, seuis prædonibus atrox
 Supplicium intentans, cædemq; rebellibus: oro
 Afflicte date vela rati, dispellite nubes,
 Gaudeat immisso felix Proreta sereno.

Talia fundebat lacrymans. Ecce vnus & alter
 Ecclesiæ carum, rapida delabitur æthra,
 Romaniq; petit secreta cubilia Patris.
 Continuo orantem superi candoris ab ictu
 Impulit. olli autem lenis per pectora fusus
 It sopor, & iunctus geminis Heroibus, arces
 Spiritus Empyreas, Astris mirantibus, intrat.

Tum Petrus. O nostri successor maxime Regni,
 Cui damus æterni fontes accedere fati,
 Et rerum spectare fidem: dimitte querelas,
 Et lacrymis impone modum. rata scilicet alto
 Ista Polo; clades patiatur Roma nefandas,
 Et cognata ratis vento pulsetur & imbri.
 Quamquam venturis dabitur consistere in annis,
 Et Pax Oceani littus percurreret vtrunq;
 Vndenos dederit cum tandem Roma LEONES,
 Quinosq; extulerint labentia sæcula PAVLOS.

Hæc Pater. Ante Dei vultum mox ducit: at illum
 Gratus faidicæ caliginis horror obibat;
 Obijciens oculis translapsi temporis horas,
 Præsentisque fidem, venturaque fata nepotum.
 Præterit ætates multas, quibus enthea Cæli
 Lux non irrubuit, manans a principe Christo:
 Pauca sed e multis, Petro monstrante, rotatu
 Luminis adnumerat; quas hauserit ante ruinas,
 Quotq; secuturos deploret Roma tumultus.

Hic Tyberim toties ventis pluuiialibus auctum,

Vndan-

Vndantemque sinu, seque extra claustra vomentem,
 Intransem plenis in Martia culmina ripis;
 Cuncta inuoluentem luctu, tecta alta ruentem,
 Rumpentemque domos, vixque in sua regna receptum;

Hic toties furijs raptam flammantibus Urbem,
 Et prope septenis impostam collibus Aetnam,
 Encelado quassante humeros, ac face Neronum,
 Luctificas stimulante faces, mortemq; minante,

Perlegit. adde luem, corrupto ab limite Cali
 Non semel Ausonijs glomerantem funera campis.
 Vis operit funesta polum, tractusque natantes
 Aëris inuadit tabes; procumbit in aruis

Culmus iners frugum; pigroque ab vomere glaba
 Frangitur. & fessos opera inter pallida Tauros,
 Marcida sorbet humus; grassantemq; orbe Latino
 Contagem, grauidis iam faucibus expuit Orcus.

Non oculos Simon inuento remoratur amaro,
 Exigui turbator agri, quem, Petre, colbas.

Ille Gigantæo dum numina despicit ausu,
 Seq; amens probat esse Deum, seq; arduus alis
 Dædaleo ritu, Capitoli a vertice, in auras
 Subleuat; infractis paullatim viribus, alte
 Decidit, & magicas ora execrantia fraudes
 Illifere solo; sed nec remorantur iniquæ

Cæsaridum clades, queis pæne a stirpe recisum

Romulidum imperium. Sensu dolor heret in imo;

Dum toties calcata Getis sua regna tuetur;
 Nunc flammis, Alarice, tuis populata, supremos
 Excludunt gemitus, indignanturq; moueri,
 Sueta alios pressisse iugo. spargenda cruore,
 Te metuunt, Astulphe, nouo; ni candida coniux
 Galla obstet, reprimatq; animos miserata furentes.

Se tamen instantis solatur imagine belli,
 Pannonicosq; ignes alio ridet igne fugandos.
 Scilicet elabi in nihilum noua praelia, miris
 Profligata modis; pulchris exercitus armis
 Instruitur, geminoq; calens sub Principe pugnat,
 Athilaq; argentem detruditur exsul ad Axem.

Sed non Vandalicis se non agnoscit in armis,
 Supplicis in morem, frustra pia verba mouentem;
 Sacris abstineat saltem, nec numina ferro
 Polluat; at fletus Rex Gensericus inanes
 Ridet, & immissis legionibus omnia vastat,
 Pulsatamq; Alnum, Duce vix dum sospite, linqvit.
 Adijce; si Latias seruat Belisarius arces,
 Dimittitq; viros, qui sacro fœdere, certis
 Præsijs, Thuscis latè tutentur, & Umbros;
 Narnia te primum, te mox Spolertia tellus,
 Quasq; premit turres Augusta Perusia, firmant:
 Barbarus hostis adest; & cum, nec Vitige quisquam
 Promptius arma gerat, nec quisquam Vitige ab ira
 Seuius intumeat; sub tanti Principis hasta
 Nutat, & ingentem queritur pia Roma ruinam:
 Quamuis ferali repleat claustra undiq; luctu
 Itolidum, cumuletq; licet singultibus auras:

Insurgit Totylas, crebris qui assaultibus omnem
 Dissipat Oenotriam; muros bis terq; cruentus
 Intrat Romuleos: ac dum percurrit Etruscum,
 Umbriacumq; latus (post longa incendia Martis,
 Conatusq; diu elusos) tandem Vrbe potitus
 Ghryphonidum, admirans Perusini robora Cæli,
 Inuictamq; aciem; sat habet si ab iure Latino
 Deficiat, dedatq; manus; proq; omnibus vnus
 Sollicitus populi Pastor, Præsesq; verendus

Supplicium expendat, solido ab munimine mentis
 HERCVLEVM cognomen habens. Sed (pace nocentum)
 Stat sua cuiq; dies: Nucerinò in littore Narses
 Te, Totyla, obruncat: belliq; in turbine feruens,
 Idem maiorum vestigia cæca secutus,
 Septenos vastat confuso Thybridæ montes.

Inde alias, cladesq; alias non lumine sicco
 Deorat: unq; diu tenuit, certe vltima, Patrem
 Admirandum. Dominandi insana libido
 Cesaridum inuadit pectus, Gallosq; repellit
 Ab lare, & Ausonium petit vsq; in vincula Thybrim.
 Septimus afflicto Clemens supponitur Orbi;
 Cui nixum Pacis pignus, fœdusq; potenti,
 Cantaber inmani fit longè infensor hoste.
 Ecce autem Insubrum decedens finibus, vltro
 Fœdera dirumpit, sacram Borbonius Urbem
 Obsidione premens; & circumquaq; reuulso
 Aggere; dum scalis in monia nititur altis,
 (Stat quoq; pro Roma non segnior ira Deorum,
 Sponte tonans, meritasq; ferens in tempore pœnas)
 Tormento petitur; glans viuo sulphure adacta
 Diuiduum thoraca secat, plumbiq; receptus
 Ignis, in internos miseri perlabitur artus:
 Ambustamq; facem, cineremq; in pectore nutrit.
 Tum late expulsus Romano ab limite Martem,
 Plenoq; effusam Pacem florere Theatro,
 Prospicit: Eridanum iuxta, Ferraria tantum
 Turbat; at Othoni bibit hæc CLEMENTIS amorem,
 Ire per Europæ populos qui fœdera longum
 Imperat. interea videnti metuenda LEONIS
 Maiestas, vix ætherias educta sub auras,
 Abripitur: QUINTO quamquã Roma inclyta PAVLO

Se iactat, gemitusq; omnes hoc Principe mulcet.
 Quoq; vno sperat Thracas in vincla coactos,
 Et Maumethæis vexilla erepta manipulis,
 Ad sanctos ruitura pedes; gentemq; rebellem
 Sic Pax alma liget, fideiq; in fœdere perstet.

Hæc tantum celeri obtutu Leo colligit, ægro
 Omina læta fouens sub pectore. Numina vero
 Bina piùm rapuere Patrem, lapsuq; silenti
 Per fora Calicolum, per ouantis mœnia Cæli
 Ausonidum in fines, Tarpaia in tecta reportant.

At cum corporeo iam spiritus esset in antro,
 Nube leui pressus somni, sibi talia visus
 Excipere. Ab roseo cum Sol candentior ortu
 Fulserit, & nullo violabitur imbre serenum:
 Tende volans; qua digressus Benacide ripa
 Mincius, irriguo per littora voluitur amne,
 Ingenti vicina Pado. non arma parentur,
 Ad propulsandum Romani nominis hostem;
 Sed rigidis longe Arfacidum potiora sagittis,
 Eloquij noua tela para; pulsoq; timore,
 Hunnũq; abigens Borealia ad arua Tyrannum,
 Certa tibi partæ steterit victoria palma.

His haud plura Senes: quos candida biga per auras
 Dum vehit, & Scythici fert ad tentoria Regis,
 Detinet adspectus Solymææ gentis, & vnda
 Gnosiacis reuomens exposita cadauera ripis.

Namq; per id tempus nigri frænator Auerni,
 Venerat Abramidum placidos turbare nepotes;
 Progeniemq; rudem, miris inuoluere rerum
 Casibus. hunc autem species sacra Moseos ornat,
 Et blæsæ voces, impressaq; cornua fronti.
 Qui, dux mentitus populi; dum prisca retractat

Promissi

Promissi frumenta soli, caelestis & hortum
 Delitij, ambrosia manantem & nectare dulci;
 Ac se ducturum veterator spondet: in ima
 Gurgitis Aegæi sicco pede constitit vluæ,
 Cum grege Iudæo. quemq; humida regna secantem,
 Suspensosq; inter fluctus planta alite euntem,
 Lympha, sinu coeunte, vorat: muroq; soluto
 Aequoris, vndantis queritur per castra profundi,
 Indocilem pelagi esse fidem, seseq; barathro
 Deuouet: ijs tantum clementior vnda pepercit,
 Queis Christi confessus amor. Par ducitur esse
 Niligenum strages, Rubri inclementia ponti.
 Cum; ne diuitijs spoliata forte Canopum,
 Desereret Galilæa phalanx, seclatus aperto
 Est praedatricem pelago Menphiticus hostis:
 Quem tamen, haud certè progressum longius, agger
 Dirutus vndarum, spumanti absorpsit biatu;
 Et datus est monstris preciosior esca marinis.

Ergo vbi barbaricis fixerunt lumina castris
 Siderei Patres; spectant sine lege vagantes
 Hunnorum turmas, & formidata Getarum
 Agmina. Stat rapidis Nomadum gens apta pharetris,
 In teneras cui primus amor scuire bidentes.

Effedones tormenta nouant, sueti ora nefandis
 Funestare cibus. quippe indefleta parentum
 Funera psallenti cum produxere corona;
 In cœtum adscitis ex omni parte propinquis;
 Dilacerant crudo dissecta cadauera dente:
 Artubus & mistis pecudum (nil dulcius vsquam)
 Aedificant epulas, Phario vel ab orbe petitas:
 Ossa tamen capitum, meliore incincta metallo,
 Auratos in crateras conflare laborant.

At saxo lauat gladios Scythæ, cadibus instans;
Sanguineas modo potet aquas, quibus ipse natarie
Hostis, ab obscena populi feritate peremptus.

Pila acuunt Tauri, quos efferus ardor iniquos
In ius fasq; agit: Hospitio quoscumq; recepiant;
Incantatos ferro superant, proq; Arietis extis,
Sanguine præ pecorum; cultro per viscera adactio,
Luce sacra, scuis maculant crudeliter aris.

Stant et bellaces Neuri, quos sordida virtus
Venantum iungit studijs, & amicta dolosis
Vultibus, æstino tellus dum fidere feruet;
Transformat se se in facies, atq; ora Luporum;
Et nemora incursum vastat, molitur & arma
Vulpibus, in vultusq; redit mox versa priores.

Insequitur, madidis quem proluit Ister arenis,
Bulgarus; horrentes quo non accendere pugnas
Promptior, aut quisquam flagrantis in turbine belli
Missilium tristi nebula felicius hostes
Inuoluisse queat; pugnaq; tumescat equestri.
Gens ea contemptrix Superum, Phlegraeq; rursus
Bella velit, Cæloq; Deos pepulisse sereno:
Te tantum (Mars) excepto, cui dira nefastis
Ponunt templa locis; pugnaq; erepta procellis,
Fracta virum spolia, & galeas ab sanguine turpes,
Ense dicant stricto; qui ihure superbus honore,
Sacrandas alijs, vnus sibi vindicat aras.

Adde Melanchlanos, imitantes tegmine nigro
Cimmeriæ furua antra domus. Et crine comantes
Ceruleo, vultumq; trucem pictos Agathirsos.
Adde & ab Herculeæ manantes prole Gelonos,
Lac perpotantes, & equinum in lacte cruorem.
Arma tonant Garusq; pedes, sortesq; Georgi,

Insanumq; crient, Roma, in tua funera Martem:
 Quem longè ex voto venientem (o pectora cæca,
 O curvæ in terris animæ! tantisne tenebris
 Transuersos vos error agit?) vexilla mouentem,
 Hortantem pugnas, vltro prono ore salutant.
 Hocce autem licuisse tibi Pluto, improbe Pluto;
 Ut vel ab antiqua surgentis origine mundi,
 Curaris tua sceptrâ coli, tibi templa dicari,
 Et falsa populos sub religione tenere?
 En modo vesant velatus imagine Martis;
 Classica bellorum promens, incedis anhelis
 Conspiciendus Equis, famulo comitatus Auerno;
 Dasq; animum viresq; adeant iam regna Quirini,
 Rostraq; barbaricis violent Romana trophæis,
 Et Christi euertant vigili cum Principe puppim.
 Quem non Barionidæ, non Paulli tela tuentem,
 Latè pugnacis spatiantem in puluere campi,
 Non animaduersum latitanti ab numine fulgur
 Percutit: utq; actum sensit diuinitus ictum;
 Protinus infernam redijt fremebundus in aulam,
 Fumeus, Hungaricum valido molimine Regem
 Impellens, stupidasq; ligans horrore phalanges;
 Tunc aliquis Regem iuxta, cui dextera bello
 Fortis, at in dubijs potior sententia rebus;
 Quin, ait, expendis, dudum quæ cæpta fatigas
 Consilia, & Latios propius non concipis agros,
 Propositumq; urges? quæ nos, quæ pigra retardat
 Sedulitas? cur non propere caua buccina somnos
 Excutit, & strictis mucronibus, agmine facto
 Ausonium gerimus victricia signa per orbem?
 An non segnitiem Mars indignetur, equisq;
 Retro actis, Geticas redeat festinus ad oras?

B Vidimus

Vidimus expositum feliciter ire per agmen,
 Vidimus ardentem cedes, solitoq; calentem,
 Sanguine; respicimus, qui sic excepimus: ast ò
 Gradiue, o numen bellis placidum, adspice porro,
 Adspice socordes; sed iam tua signa secuti,
 Induimus clypeos, tentoria rumpimus, alnos
 Scandimus, imbellemq; animo præsumimus Urbem.
 Tu peragi ista, iube; nunquam melioribus, o Rex,
 Utère auspicijs, aptat Victoria pennas,
 Christiadum spondens trepida de plebe triumphum.
 Currit ab his ingens Hunnæ per agmina rumor,
 Permistus clangore tubæ, furialibus ardent
 Castra odijs, ferri rabies crudescit ubiq;
 Et vastum galeis potare Anienen anhelant.
 Sic, ubi raptorem fecundo ab rure fugandum,
 Rusticus inclamat, pubes coniurat agrestum,
 Vi prohibere parans. pars hæc hastilia flammis
 Durata hæc rastros dextra capit, illa ligones,
 Contosq; , & duri metuendum robur Aratri.

Ut magni patuere ausus, ruituraq; iam iam
 Signa, Quirinali fatum latura cohorti,
 Eridani fremuere vadis; mens utraq; longè
 Heroum indoluit: medio sed ab æthere Petrus
 Labitur, & trucibus formidandum Athilan armis,
 Obiectus nebula adcedit, nutuq; potenti
 Grandius accersit, cui Rex datus Athila, Germanus.

Nam duplex Genius, Ducibus toto orbe regendis
 Præficitur; qui sub primoribus inditur annis,
 Et cum dignantur sceptris, legesq; ministrant
 In populos: seu barbaricis nascantur in oris
 Trans Tanaim, trans Sauromatas; seu sanctior orbis
 Educet, & fidei pastu melioris alantur.

Verax

Verax ætherij clementia Principis! vno
 Velle sub amplexu terrena, æterna ligare;
 Solisq; irriguos ignes differre per omnes
 Terrasq; tractusq; maris, Cælumq; profundum;
 Qua lux vera natat; qua caligantibus horret
 Mens armata odijs, seq; atro in corpore miscet.

Ergo Ducis Scythici Genium conuenerat heros,
 Alloquioq; vtens, quo summi ante ora Parentis
 Discretis late ordinibus mysteria pandunt
 Inter se Superi, committit talia. Cernis
 Fide vigil, quanto Romana in mœnia cursu
 Tendat, & in memet quam multa clade feratur
 Athila: vinclo inhibe, quantum fas, comprime motus
 Barbaricos. Stolidi ante oculos (te afflante ministro)
 (Dum saltem Ausonia veniat Leo magnus ab vrbe)
 Trux Alaricus eat: Romæ quam toruus in armis
 Fulserit (exigui medio mora temporis) idem
 Funere quam subito Rægini in littoris ora
 Vitam exhalarit. dictis Senioris obedit
 Aliger; ac stygijs dum forte Alaricon ab antris
 Euocat, & visu rem sæuius vrget amaro;
 Abscedunt gemini Patres, campisq; relictis
 Aëris, ad sedes remeant felicitis Olympi.

Aetheris interea summi spatiantur in aula,
 Consilia inter se Gothicis de rebus agentes.
 Cum Paulus gladium vibrans, pia classica labris
 Admouet, & misto media inter murmura risu,
 Suscitât empyreas classes, firmatq; Simonem.

Non tibi ab hoste timor, cui iam perfracta minarum
 Cesserit in nihilum vis effera; iussa vbi primum
 Angelus implevit, steteritq; ad flumina vultu
 Iam propiore Leo, teloq; armatus, inermis

Pannonicum in Regem sanctos iaculabitur ictus:
 Nosq; Senem valido munimine utrimq; iuvenes
 Multus ab ætheria comitabitur arce satelles.
 Ergo cęlesti properemus ab agmine certam
 Scribere militiam, formidatamq; cohortem
 Instruere; inuictō præcingere corpora ferro,
 Et Galeis operire caput, contraq; Tyrannum
 Tendere; supplicium, tormenta æterna minari.

Sic ait, & nutu magni Barionidæ in armis
 Excubat; ac veteris pugnæ memor, vrbe Damasci
 Spumanti cum vectus equo, bella horrida latè
 Infremeret; sæuiq; pericula Martis adiret,
 Delectus habet; Hungaricam quo milite gentem
 Terreat, & gelidam detrudat victor ad Arcton.

FVLVII CORRADI CLERICI SEMINARII.

Argumentum:

PERGIT ad Eridani ripas digressus ab Vrbe;
 Et ducit secum bellorum puluere clarum
 Carpiliona LEO qui exardens inter eundem
 Longa &ia verbis abstergere radia, & hostis
 Cursim perlegere & mores & robora: iuxta
 Carpiliona monet; qui, ducto longius orsu,
 Inchoat affatus, & formidabilis Hunni
 Ortusq; & studia & mores & pralia narrat.

21

IO: BAPTISTAE
LAVRI PERVSINI.

LEONIDOS.

Liber Secundus.



T non magnanimi bellatrix cura Leonis
Concussa trahit Vrbe moras : iam lique-
rat Arces
Romulidum , iamq; & Veios, Cyminiq;
cacumen .
Deseritur celebri gens lōgum obsessa Ca-
millo ;

*Vrbsq; iugis imposta Verus ; tum tramite laeo ,
Politianæi Montes , gratissima Cælo
Culmina , seu triplici redimitum tempora mitra
Ceruinum , seu dent roseo radiare galero
Taurusios ; Bellarminos : adde arua Senarum ,
Arua quidem longe felicia ; nomina cessent
Pontificum , quotquot priscis Deus ante sub annis
Extulit . Vnus adest , sibi quem stirps alta Quirini
Vindicat , omnigenum seriem transgressus honorum ,
Immensamq; Petri frenat BORGHEIVS Alnum ,
PAVLI pacifero gaudens cognomine . Iamq;
Dulce solum Floræ , Fernandi Principis oras ,
Præterit , & paruo qua sparsa Bononia Rheno ,
Appennincolas spectat , qua liuida Manto
Opposuit Graijs , mansurum , in sæcla Maronem .*

Dum tamen, insigni procerum comitante corona,
 Hoc iter ingreditur; cupidus cognoscere Regis!
 Ortusq; & studia, & mores, & prælia; iuxta
 Carpiliõna monet, qui nuper sævus in Hunnum,
 Sub Ducis Aëtij ductu distrinxerat enses.

Ille hæret, paullumq; Patrem sermone modesto
 Extrahit; atq; audas coëmens ad carmina mentes,
 Incipit. Hungarici natalia fæda Tyranni
 Ordior, & patrio deductum ab limite, sistam
 In Catalauniadum campis, fractisq; Aquilæ
 Moenibus, ancipiti ludo mortalia passæ
 Vulnera. Pannonicum frænabat belliger orbem
 Mandulcus, Geticas suetus flammare phalanges,
 Immanes Herulos, immansuetosq; Gothunnos
 Christigenas contra. Fuit huic clarissima formæ
 Sidere, Dannubij ad ripas generata Choaspis,
 Centum optata procis; sed citra æquumq; modumq;
 Pronior in Venerem: & quantum nix sole liquescit,
 Sithonio de monte cadens: tantum illa sagittas
 Corde Cupidineas, populaturosq; bibebat
 Idalia de matre ignes. Ergo anxia Patrem
 Cura premit, Natamne velit sub iure paterno
 Viuere adhuc, prorsusq; faces nescire maritas;
 An potius sociare toris, & sanguine dignos
 Transferre ad generos, ac, si fors vota secundet,
 Maiores adscire etiam, præq; omnibus, illum,
 Cui dat innocuos Vrbs Byzantina triumphos.
 Sed ratus ad thalamos properandum; cætera Gnata
 Posthabet: Eoi connubia Principis ambit.
 Interea in labem generis ne quid malus error
 Contrabat, & stolido, qua fas, occurrat amori:
 Turribus includit celsis, breuia ostia ferro.

Sepit, & exiguus famularum admittitur ordo.
 Tantum, semotæ lenimen dulce Iuuentæ,
 Ore Canem niveo Genitor committit alendum;
 Quem Canachas inter, latratoresq; Molossos
 Duceret in silvas, obscuraq; lustra ferarum,
 Auspicio Diana tuo. Sed enim ægra, dolensq;
 Flebat ab adspectu Virgo subtracta virorum,
 Aede latens; quam diuisam popularibus auris,
 Arcta fenestra aperit, proceraq; culmina tecti
 Lambit, & emissos conuertit ad æthera visus.
 Illa quidem noctes lecto vigilare serenas,
 Illa dies tristi solidos traducere vultu,
 Tum cœtus odisse suos, alere vsq; sub imo
 Pectore suggestas petulanti ab Cypride flammæ.
 Nec mulcere animum vana spe callida Nutrix
 Quibat; adulterijs nimium mens cæca pudendis
 Excubat. Ab discors animæ tenor! o tenebrosi
 Vis horrenda Erebi! quæ recto a cardine sexum
 Feminæ prima exturbas, fractumq; furenti
 Subiicis imperio, mergis Phlegethontide flamma,
 Et Venere incæsta. Quid vero mollit artus,
 Atq; inconcessum satiauit pectoris ignem?

Parce Pater; rerum series infanda relatu
 Accumulat; quodq; ora mihi velamen honestum
 Circuit, hoc castas, oro, tibi contegat aures.

Aleto substrauit iter, cinctumq; proteruo
 Gestans angue caput, feralem irrepit in aulam,
 Virgineumq; adiit, nulli deprensa, cubile.
 Forte aderat nox sexta, Astro nox sexta nefando
 Fulserat. assuetis incanduit ægra venenis
 Virgo, auido composita toro: tacite aggerat olli
 Eumenis atra luem; stat feda Licentia rupta

Compede, inauditum scelus horula parturit. Ab quid
 Non peperit fulmen rabies ventosa trifulcum,
 Non tulit ad stygias tellus abrupta cauernas?
 (Mens refugit memorasse Canem) tali improba mæcho
 Nusserat, & primis Alecto pronuba tædis
 Affuit. illa haustam Cocyti e fontibus undam,
 Illa & flammifero raptas de vortice pruas
 Antetulit ridens; mox rauca sonantibus hydriis,
 Flagitia impuri cecinit reticenda Hymenæi.
 Hinc Ventris tumuere sinus, intraq; receptum,
 Viscera sensit onus. progressu temporis illic
 Insurgentem vterum deprunderat indice certo
 Casta cohors; deforme Animal dum lumine fixo
 Virgo ferit, notæq; Animal blanditur amanti,
 Ingemit, & raptum dominæ indignata pudorem,
 Ense Canem iugulat, summa & de turre cruentum
 Deicit. Insanos animi ciet effera motus,
 Et facies flammata rubet, sibi perdita ab omni
 Ictum molitur telo: sed subtrahit omnem
 Materiam lethi grex prouidus, & (mora nulla)
 Indicium facti patrias transmittit ad aures.

Horruit infelix Genitor; primoq; rigentem
 Cogitur in glaciem, perq; aspera tela pudoris
 Disperit: inde gelu paullatim abeunte, solutum
 Purpureo tumet igne iecur, flumenq; coacti
 Sanguinis in spumas abiens, hæc verba furenti
 Suggestit. I, fidis Natam committe latebris;
 I, nois seiunge choris; I, limina ferro
 Obstrue, & occultam defende vrgentibus armis:
 Irrumpet fatale malum, furtimq; subibit
 Nequitiosa Venus. Quid nunc mihi culta per aras
 Cum Mauorte tuo, Venus es? quid numina myrto
 Cingimus,

Cingimus, & pictis decoramus templa rosetis?
 Sit vero in fatis, qui natam expugnet adulter;
 At simili de stirpe tamen, cur monstra nouentur,
 Cur generis diuersa lues? cur sparseris in nos
 Tam sędum fors dira nefas? iam Creta nefastos
 Miratur stupefacta toros. excusat amatum,
 Pasiphaę superata pecus. peiora quid ardes,
 Quos talamos incesta petis? Nata impia; pęstes
 Inter Auernales primis numeranda sub annis?
 Scilicet in faciem, si sis mihi perfida pręsens,
 Irruerim, & gladio turpissima facta piarim.
 Sed labes cęlanda tamen; coniuxq; legendus
 Ex vernis, ex Aulicolis; indignaq; sceptris,
 Edita discordi det nobis pignora ventre.

Sic ait, & Gnatam tecta ad regalia duci
 Imperat. effractos defleuit adultera postes.
 Tum tristes deiecta oculos, confessaq; vultu
 Lęsi signa animi, pudibunda ante ora Parentis
 Prodiit, & ruptum gemitu testata pudorem est.
 Nec mora Pyrrhides, cui sit ducenda Choaspis
 Seligitur; quamquam tędis male passus iniquis
 Iungier, & dubia iam virginitate iugari.
 Ergo sacris Hymenęus adest, vulgata per Istrum,
 Pompa sonat, patrio connubia barbara ritu,
 Et repetita noui celebrantur fędera lecti.
 Iamq; ex congressu, tumefacta vxoris in aluo
 Vir sobolem creuisse videt; iamq; adfore tempus,
 Quo portentosi dicatur germinis auctor,
 Ancipitem Lucina diem, partusq; futuros
 Accelerat: Nox ante tamen, qua prole leuanda es,
 Dat, Mulier, pręnosse tibi. Nam (Luna supremum
 Decurrebat iter) visa est peperisse biforem.

Ambiguo

Ambiguo de patre Canem : diademata Regni
 Fronti inerant ; cum dente latus laniasset acuto
 Ipse suum . iam cæde ferox latratibus altis
 Europæ quatiebat agros ; metuendus in agnos
 Irruerat , sancti referentes signa cruoris .
 Incurfu Latij custos gregis arcuit : ille
 Compare suscepta , ripis se reddidit Istri .
 Inde satur pastu , viridi dum fessus in herba
 Stertit , & hesternam ructatur luridus escam ,
 Sanguinis obscæna illuue perfusus , adunca
 Excludit de nare animam . Mæstissima mater
 Diriguit ; simulas visa est excisse propinquas ;
 Excierat : grex multus adest , dominamq; recenti
 Se se torquentem fœtu ; iam iamq; dolentem
 Ex vero , & tumidi laxandam pondere ventris ,
 Circumstant ; ser opem , clamant , pia Iuno : repente
 Infans ortus erat ; facies sed bina tuenti
 Fulserit , hinc hominis , Canis inde , utrumq; utriusq;
 Manat ab effigie . Pyrrhiden terruit omen ,
 Incusansq; Deos , sobolem execratur acerbam ;
 Hæret ; an exitio , turpi cum prole , parentem
 Destinet , & cesset miseris increfcere tædis
 Dedeous . At soceri timor hinc abduxit , & inde
 Aurea spes sceptri , quod rerum debitus ordo
 Transferri ad Natam , propioraq; pignora sanxit .
 Adde , quod & cæde abstinuit , mentemq; benignam
 Induit in matrem , timidæq; in Germina matris ,
 Longæui sermone Senis ; qui ingressus in aulam
 Principis , immodica sese afflictantis ab ira :
 Pone , inquit , curas , & quæ tua pectora nubes
 Plus nimio obsedit , peioraq; disce vereri .
 Ne mirere , patri similem quod non tua coniux

Ediderit

Ediderit sobolem. Vis huic arcana sub ipsos
 Concubitus; si qua ad mentem prorepat imago,
 Spiritibus clausa inuebitur, sensuq; potenti
 Defertur; qua parte uteri suscepta fouentur
 Concubia, inq; hominem coeunt. Sed percipe porro
 Quam tibi ab Aethiopum populis breuiore profatu
 Promimus historiam. Qua Cancro incensa, nigrantes
 Zona premit gentes, Rex imperitabat Hydaspes,
 Persina iunctus talamis: huic, nocte silenti
 Dum Veneri indulgent, candens occurrit imago.
 Harebant muris suspensa aulæ. niuali
 Tincta aderat candore oculos ac corpora Virgo
 Andromede, duris humeros religata catenis.
 Candida lucenti veniebat Bellua ponto;
 Sed super impendens alis candentibus, acri
 Arcebat telo Perseus, trepida ora Medusæ
 Præterdens, niueosq; nigris pro crinibus Angues.
 Hunc niueum Archetypon, nitida hæc simulacra bibebat
 Obuersis Regina oculis, partusq; sub ipsum
 Tempus (nigranti miracula horrenda Syene,
 Aethiopumq; solo) niueum subluminis auras
 Enixa est pignus, nigra Matre, & Patre nigro.
 Tantum animæ externis vis indeprenta figuris
 Inficitur, tantumq; alieni inolefcit imago.
 Pelle procul tenebras, florescant tempora risu,
 Et natam sobolem ridenti respice vultu.

His dictis, paullum corda indignantia soluit,
 Depositaq; iræ; plenis assensibus aulæ,
 Athilan, infantem proavi de nomine dixit.

Labitur interea celeri vertigine Cælum,
 Quodq; Poli numeratq; vias, paribusq; rotatur
 Raptibus. egreditur pueriles protinus annos,

Aiq;

Atq; intrat primæ vestigia cruda iuuentæ,
 Haud illum vincat cornu leuibusq; sagittis
 Hunnus; non curua metuendus falce Gelonus.
 Cesserit armato clypeum munire lacerto
 Sarmata; puluereos Herulus percurrere campos;
 Et Francus rapido fluuium transnare natatu.
 Haud illo æstiuum quisquam patientius Astrum;
 Haud illo hybernos quisquam tolerantius imbres
 Perferat; exiguus somni, patiensq; laborum,
 Arma fremens, audax animi, imperijq; petitor
 Anxius, indocilis fidei, mente efferus, ore
 Subdolus; incessu segnis, totoq; superbus
 Vertice, grande caput, corpus breue; lumina densis
 Iuncta supercilijs, flammis certantia, in orbe
 Huc illuc distorta suo; dubiumq; colorem
 Mistâ ab stirpe refert; sima nare, aure sagaci;
 Indulgens Baccho nimium, certamina cuius
 Pugnât apud mensas; & totius agminis vnus,
 Vno haurit numerans carchesia marcidus haustu.
 Quo vero emineat rerum scelerosior ordo;
 Pronior in Martem, Marti acceptissimus idem est,
 Senior in Christum, Christo infensissimus idem est,
 Idem ergo spacijs factus iam grandior aui,
 Fratre suo natu maior; cum tristia primum
 In Patris senium fata irrupere; potentis
 Suscepit frena imperij, funestaq; belli
 Signa mouens, imisq; coquens certamina venis,
 Proterit Illyricos, prosternit in agmine Thracas,
 Parrhasios populos in prælia suscitât; olli
 Gepida, & Ostrogothus, iaculoq; potentior Hunnus
 It comes, & cupidum bellax Arnestida vincit.
 Hunc ad Pyrrhidæ fremitus stricto ense fugandos
Missum,

Missum, conspicuis primum Victoria pennis
 Excipit; at placidi successu Martis ouantem,
 Incautum, excordem vigili ferus Athila cornu
 Occupat, & stygias cæsum dimittit ad umbras.

Sed quia Pannonicum clades inuaserat agmen
 Hinc formidato volitans Discordia ferro,
 Primoresq; Ducesq; inter; malus inde cadentum
 Horror, & in putri moriens bellator arena:
 (Nam ieiuna fames virus lethale per omnes
 Fuderat) Hungaricum prope remeare sub axem
 Cogitur. hic Bledam, Romanæ commoda Pacis
 Dum suadet, fratremq; monet, qui mollius Hunnos
 Temperet, & Reges ultro sua signa secutos:
 Idem & Bleda tamen præcingere mœnia Budæ
 Nititur aggeribus; Scythici prope littoris vndas
 Insidiæ clam dispositis, sæuo ense trucidat.
 Porro hac cæde ferox in Regum subdita colla
 Altius insurgit, famulùmq; adscribit in album
 Valamirem, Ardarigum, quis late Gepida pugna
 Seruit, & Ostrogothus. Sed iam reparauerat omnem
 Militiam, quam discordi furor hauserat igne,
 Quamq; auido violenta fames damnauerat orco.
 Adijciunt sese huic Heruli, Quadi; arma Toringus
 Huic stringit, gelidamq; obiens Meothin Alanus.
 Inde auidus pugna, occiduam percurrere Calpen,
 Et Theodorici prosternere signa furentis,
 Signa per Hispanum quæ late sparserat orbem,
 Cogitat. ante tamen magno molimine furtim
 Aëtium pretio oppugnat, Romana fouentem
 Præsidia Aëtium; ne suggerat hostibus arma
 Visigothis. parte ex alia conmittitur astu
 In Theodorici depromere tela ruinam,

Quem

Quem nuper Latij grassantem vidimus oris
 Aetium contra. Sed enim fraus utraq; neutram
 Sortita est mentem, sat docti, nolle Tyranno
 Fidere Pannonico. tristi irritatus ab ira
 Intumuit; quo more undas cum feruidus Eurvs
 Incidit Ionias; tumidos assurgit in orbcs
 Lympha rapax, seseq; aperit diuisus utrimq;
 Gurgcs, & externis ponit sua littora campis.
 Iam te Rypheis Germania tractibus acri
 Marte grauem recipit, te limes Gallicus horret,
 Athila: tu veluti fulmen, quod ab aethere lapsum
 Austrorum genuit vis importuna, per agros
 Funestum molitur iter; quaeq; attigit, altos
 Dissipat in cineres, & vbiq; incendia nutrit.
 Sic prope, fulmineo qua fers vestigia passu,
 Cuncta igne inuoluis, ferriq; ab turbine vastas.
 Quid referam Rhemense solum, quam funere multo
 Arserit! hic animi egregium, sanctoq; calentem
 Flamme, adhortantem populos, in federe perstent
 Christiadam; gladio non horruit ire peremptum
 Nicasium, non Eutropiam; quam perfidus Hunnus
 Incursu primo si non transuerberat ense
 Pignore pro formæ: pietatem exosa nefandam,
 Prouocat illa hostes, & sacræ verberare lingua
 Pungit, quo nolint sibi parcere. Quauc celebrem
 Laude Lupum, Christi tremefacta armenta tuentem?
 Cuius cum circa trepidum fremuisset ouile
 Barbarus, & teneros quateret balatibus agnos:
 Humanæ contemptor opis, purum aethera miti
 Corde adit; ac superis dextram splendoribus armans,
 Fertur in obstantes acies, lumenq; tremendum
 Diuidit, & solito spoliatis lumine flammæ

Imprimis

Imprimis ætherias . caligo æterna furentes
 Arcuit obtutus , nullaq; utrimq; ruina ,
 Ingressi peragrant Trechasinae mœnia gentis ,
 Nec nisi trans portas oculorum redditur index :
 Sic quondam , referunt , misisse Benadida regem .
 Syriacas classes , Dothain per pascua , iuxta
 Israëligenum terras ; quæ cuspide sæua
 Perdere Eliseum vigili statione pararent .
 Ille , fide Superum diuinitus implorata ;
 Non aduertentes , inopino luminis ictu
 Percutit ; & cecos dux ipse incognitus , agros
 Ducit in hostiles , atq; in Samaritida terram ,
 Discussis illic tenebris . Nec carmine nostro
 Indieta , o patrios hoc æui egressa Britannos ,
 Ursula , transieris : te Cælo adscripta trahentem
 Sæcla Puellarum ; talami quod iura recuses ,
 Virginea cum pube necat . Stupet effera corda
 Rhenus , & immutat peregrino sanguine fluctus .

Ecce autem Aëtij vires fracturus , in oras
 Rursus Tectosagum , Catalauni ad mœnia turmas
 Hunnus agit : Vatis dicto , qui lucis in ortu
 Aegram falsidico tumefactus Apolline mentem ;
 Hoc monuit sermone Ducem . Lux ista nefastis
 Plena Deis , dabit Hungaricis ingentia campis
 Funera ; quam cladem Dux obruncande leuabis
 Agminis infesti . vox hæc spem pavit inanem
 Regis , in Aëtium præfagia dira ferentis .
 Ergo ineunt pugnas ; gemitus hinc inde cadentum
 Personat , in Geticum quamquam violentius agmen
 Mars furit . obijcitur certantibus alea fati :
 Sed Theodorici in caput insperata cadit fors .
 Elusa hinc rabies Scythici ductoris , acerbum

Ingemis

Ingemit, atq; iterum conducto milite in hostem
 Arma remolitur, bellatricesq; reposcit
 Ad noua bella Aquilas. Sed mors properata retorfit
 Consilia: Aëtium Romanæ gentis Achillem,
 Magnanimum Aëtium non equo iure peremptum
 Vidimus. O Gothicis posthac viduata trophæis,
 Semper ab ancipiti rerum turbata tumultu,
 Patria! præcipitis quid post furias Alarici,
 Quid tibi cum bellis? nequicquam, Roma, sonanti
 Nunc premerere metu: vis a te exempta pericli
 Longe ageret: magnum non lex aduersa Leonem
 A grege distraberet: non his regionibus altum
 Solliciti raperemus iter. Te, vindice dextra,
 Athila comprimeret, nudoq; in puluere prædam
 Linqueret Alitibus; populos tua iura verentes
 Trans Pontum, trans perpetuis obsessa pruinis
 Regna relegasset, qui nunc fato occubat. At nos
 Nitimur heu frustra verbis. non ille resumpto
 Excidit a scelere: trepidam succendere ferro
 Occipit Italiam; transfert huc robora regni,
 Quotcumq; æquoreis Vrsa educat exul ab vndis.
 Ergo Pannonias confestim classe frequenti
 Deserit, atq; ausis ingentibus omnia passim
 Diruit: Aeolias imitatus Marte procellas;
 Si quando emergant reserato a cardine montis,
 Claustra sali, secreta soli, iuga, nubila, siluas
 Concutiunt, Mundiq; fidem, nexusq; resoluunt.
 Hac face pugarum iam feruidus Athila Carnos,
 Iamq; forum Iulij transcenderat. Aemula Roma,
 Perfugium nostris Aquilæ cohortibus vnum,
 Nisibus impetitur totis; ductoq; potenter
 Aggere, & in gyrum positis legionibus, Urbem

Hæu male securam, longa obsidione fatigat.
 Ter flauam messor Cererem, ter Vinitor tuam,
 Presserat, in totidemq; orbes Ver, Bruma secarat
 Tempora. Cum lente instantis caligine belli
 Vrbs perfusa oculos, expertaq; Marte sub ipso
 Neruorum sonitus, & pila frementia, quamq;
 Non æquo starent acies discrimine; muros
 Ambiri late, nullas admittere vires,
 Impendere famem, rebusq; exercita in arctis
 Dissidia, extremo nil iam differre periclo:
 Aspere agi ab se se reputans, nisi callida ciues
 Ipsa suos alio dimittat, ceu pia mater,
 Cum natis instant crudelia vulnera, pectus
 Obijcit ipsa suum, crebroq; paciscitur ictu
 Progeniem timidam. Quando ergo immota cruentam
 Fata necem spondent, decurruntq; ordine certo
 Vellera Parcharum: confestim examine magno
 Trudit in Hadriacum litus, propioraq; late
 Oppida; qua medijs in fluctibus, altera Delos,
 Constitit, & Venetum deducit origine nomen.

Ante tamen dulci inuento sparsa agmina fallunt
 Hungaridum, & dubia falsi sub imagine belli
 Hostiles acuunt animos; qua parte tenaces
 Vrbs coit in lapides, prospectuq; ardua longo
 In præceps Arx alta patet, muriq; labantis
 Circumcingit opus; qua non obsistere telis
 Aptior, & celeres fundarum auertere pulsus
 Fortior: atq; alibi nutent cum mœnia, primo
 Occasura ictu; si fors dira indicet hosti;
 Omnis in hoc Vrbs tractu stat cura; furentes
 Huc cogunt capere arma acies. sic vertice ab omni
 Militiæ in veræ speciem, vigilantia pila

C Disponunt

Disponunt: habet insomnes custodia muros;
 Ludicroq; Urbis magnæ latera omnia complent
 Milite; quem trabibus solers fabricator acernis
 Struxerat, & veris onerarat bracchia telis.
 Contrahere hunc arcus, illum tormenta volucrî
 Saxo armare putes; hunc toto concita nisu
 Missilia urgere in cuneos: in prona repulso
 Stridet funda globo; pæne ut displosa feratur
 Plumbea congeries, flatusq; retundat inanes
 Hunni; pars gladijs, pars tuta bipennibus; omnes
 (Unus amor) ficta turres statione coronant.
 Elusit fraus ista hostem: dum tramite leuo
 Clam portas aperit fugitiuus ciuis ab Vrbe.
 Subrisit toruum Fortuna, atq; omine aperto
 Indicat excubias infano Marte teneri.

Porro stridenti crepitare Ciconia rostro
 Non semel audita est; atq; Urbis peste repulsa,
 Visa est pallentes sua pignora ferre per auras.
 Forte etiam Aligerum turmæ per inane volantes,
 Vnguibus intortis abiegni militis ora
 Insedere ultro; nec quicquam profuit arcus.
 Tum ratus insidias Hunnus; toto impete portas
 Arietat, auulso patuerunt cardine, & omnem
 Confertim turbam, nullo prohibente, receptant.
 Nec mora, disiectis alte seges ignea muris
 Emicat; & qua qua Bellona pepercerat, illac
 Volcanus ruit immiſſis iruculenter habenis.

Ac veluti validis remorum impulsa lacertis,
 Quæ certo primum stetit æquore, concita cursu
 Percurrit vastum Ratis imperterrita pontum.
 Sic prope victrices referens hinc Athila palmas,
 Imminet Italiae toti; postq; eruta circum

Oppida:

Oppida, post steriles pulsus cultoribus agros;
 Cogitat Ausoniam; Tyberim quoq; propter amœnum
 sistere equos, fractaq; anidos dimittere Roma:
 Quam nunc seruat bonos, Pastor, tuus. O Leo sauis
 Edite temporibus: quam duro cogeri astrô,
 Orbe peregrino ferales ire per oras!

En pene Eridanum premimus, propiusq; Tyranno
 Absumus. ab trepidis adspirent numina votis;
 Teq; animi inuictum, voti velit esse potentem,
 Cœlorum qui summa regit; qui disita longe,
 Copulat, irriguas de cautibus elicit undas,
 Cordaq; vel solo permulcet ferrea nutu.

Talia Carpilio memorat, rapidisq; feruntur
 Passibus; innocuo qua Mincias unda natatu
 In Phaëtontœum desert sua viscera flumen.

FVLVII CORRADI CLERICI SEMINARII.

Argumentum.

ANGELVS horrificis terroribus Athilan Urget,
 Educens Gothicum Stygijs Alaricon ab antris.
 Exardet stimulis irarum Pluto, furensq;
 Compellat diram Aleto; falsa ora Alarici
 Induat, & Regem repetens, cantata recantet
 Colloquia, & positi reuocet conamina belli.
 Sed Cali iam miles adest. Leo voce Verenda
 Hunnum arcet, sauaq; refert de gente triumphum.

IO: BAPTISTAE LAVRI PERVSINI.

LEONIDOS.

Liber Tertius.



IMPIGER vmbroso Genius remearat
ab Orco,
Imperijs parens magni Bar-Ionidæ: at
illum
Tartareos linquentem adytus, obscu-
raq; Ditis
Ostia, de cuneis Animarum educus

opacis,

Insequitur pallens Alaricus; & obrutus igne
Fulguris Angelici, trepidos in pectora pulsus
Accipit; & magicas cum iam non horreat artes,
Labraq; liuenti verborum imbuta veneno;
Concutitur grauiore metu; suspensus & anceps,
Quas eat ad partes, quos transducatur in vsus.
Ac dum per tacitæ telluris opera feruntur
Ad Consentinæ valles, ditataq; busto
Bussenti vada glauca suo: tali vrget euntem
Angelus alloquio. Quibus vreris, his quate flammis,
Atq; age diuersos, qui rerum exempla tuarum,
Insumpsere sibi, flexu qui mentis eodem,
Milite prætendunt Romam temerasse profano.
Vnum præ reliquis pugnas; qui pectore toto

Aestuat

*Aestuât in Latios tractus, Romanaq; vecors
Diripit arua animo; cum Nox densissima fuscis
Arserit Astrorum faculis. Quoq; acrius iste
Pertenuis sensus, faciesq; cadaueris illa,
Qua Siculis olim sub fixibus occidis, Hunno
Incubet, & stolidi reuocet conamina cœpti:
Indue corporeum pondus, quod ab arce sepulchri
Eruero; & Stygiæ referens incendia terræ,
Subde breues in luce moras, quas hauseris æger,
Post deuastatam ternis excursibus Urbem.*

*Hæc ait, & Bussentinum deducit ad amnem.
Tunc aliouersus flumen iubet ire, retortis
Fluctibus, atq; imi reteggit vada littoris: inde
Eruit infossos artus. Ignota sepulchri
Effigies, non Niliacas imitata Columnas,
Aëre non vacuo pendentia Mausolæa,
Non caua saxa Phrygum. nam cum prope mœnia Rhægi
Fati supremas Alaricus abisset in horas:
Ne quis, ab hostili percussus pectora thyrso,
Effoderet corpus, diuisumq; ense per agros
Spargeret; hæredis cauit pia cura. reflexos
In gyros curuat Bussentum, & tempore certo
Corruat; famulum dum plurima turba latebras
Effodiat, Thesaurorum quas molibus explent;
Ac super imponunt defuncti corpus; humoq;
Largius ingesta, primos vaga flumina cursus
Instituunt, solitoq; latex adlabitur alueo:
Tum ferro incauti sternuntur, quotquot agendo
Artifices se exercuerant; ne fama sepulti
Regis, conciret cupidas ad furta cohortes.*

*Iam viuax Alaricus erat, iam corpore viuo
Cum Duce sidereo, celeres per inane volatus*

Carpebat, rapidiq; Padi iam nota tenebat
 Littora. Dimensam Phæbi leuis orbita lucem
 Torserat; Hesperio properabat ab æquore, pictum
 Nox stellis umbrata caput. irux Athila somnum
 Ebiberat; flatu venas perfusus anhelò,
 Post graue dissidium mentis, reuolutaq; belli
 Consilia, angusti recubabat limine tecti.

Ille Erebi de face madens, metuendus in armis,
 Et tamen extremi ducens cruciamina lethi,
 Incumbensq; toro. Quid, ait, ferit effera pectus
 Sedulitas? quid Tarpeijs intendere vincla
 Rupibus, imprudens vestigia nostra secutus,
 Hunne paras? non est tutum contendere contra
 Astriferas moles, Orbisq; arcana superni.
 Crede mihi, quisquis Latijs adspirat habenis,
 Quisquis Romuleos inuertere vomere colles,
 Adpetit; ille ausu Icario libratur in alas,
 Et cadit in præceps. ille ætheris excidit arce,
 Et miserum Phæionta refert. quin conijcis in me
 Lumina, diluuiò armorum qui Martia tecta
 Inuolui; exiguò sed temporis interuallo,
 Bruttia Sicanium qua respicit ora Pelorum;
 Febribus immodicis, altaq; voragine morbi
 Deuoror; inde nigra Eumenidum detrudor ad antra.
 Qui premar æternum flammis, supraq; nocentum
 Supplicia, ab pœnis longe grauioribus angar.

Hæc fatur; raptimq; abiens (nam Lucifer albo
 Vectus equo, iubet emeritam discedere noctem.)
 Elicit occultos ignes, atq; Athilan atris
 Afflat agens facibus, rabiemq; inculcat Aucrni.

Tum Bussentinus recipit sua corpora vortex,
 Styx volulantem animam. Somnos discussit inertes

Horrens

Horrens forma Viri ; stratîsq; exurgit ab altis ,
 Certus ab Ausonijs Martem deflectere campis .

Hæc malus inferno rimatus ab aëre Dæmon ,
 Irarum exarsit stimulis , iussumq; Alaricon
 Acciri ad sese , flammis maioribus vbit ;
 Ac raptum in sublime , ter in Phlegethontide merfit
 Vnda , Ixionio ter agi præcepit ab orbe ,
 Sisyphium ter volvere onus : mox crimen acerbans ;

Quid pius in fontes sons ipse , & triste coërces
 Ingenium , fueras olim qui carmine tali
 Ante coërcendus , quàm septem culmina Romæ
 Dirueres , tristiq; reum te clade ferires ?
 At puto , cælesti compulsus ab Alite , nostri
 Eiuras decreta Poli ; moremq; modumq;
 Tartareum oblitus , reuocas à crimine Regem .

Quis furor , o Superi ? quæ tanta audacia ? vestris
 Degite concilijs ; raptas adsumite in arces ,
 Vnigenam quicumq; colunt . quid dedita nostris
 Ritibus , Empyreas dicto execrantia leges
 Pectora , per nostri tæterrima robora Regni ,
 Flectitis ad rectum ? faxy , cantata recantet
 Consilia , atq; animos soluat , quos ante ligarat ,
 Fronte sub inducâ fallax Alaricus . Auerno

Tum ciet ex imo , neſcientem crinibus angues
 Lucificam Aleto , properè quam talibus implet .

Perge age , bellorum fotrix , spes fida Barathri ,
 I , Gothicum simulata Ducem ; belli excute flammæ ,
 Et super induc'tum cinerem , succende priores
 Hungaridæ furias ; & quæ tibi cumq; Colubræ
 Cæsariem incingunt , inspirent præmia pugna ,
 Intendantq; truces animos . Volat ocyor Euro :
 Ac multa de nocte , Ducem ; qui in luce pararat

Bellonam transferre alio, fortesq; phalanges,
 Aggreditur. Quæ te (indignum) sententia vertit,
 Ecquis præclaro suavit desistere ab orsu,
 Maxime Pannonidum Ductor? certe inuida nubes,
 Et nequam Liuor, tumidam ne mittere Romam,
 Sub iuga, ne cogas tua sub vestigia Thybrim,
 Et tanti spolies temet splendore triumphi.
 Noui, quas in te fraudes intendat Erynnis,
 Indignansq; tuli. men' refferat ipsa? meiq;
 Viuida ab effigie, reuocet tua vota; silenti
 Dum somnum sub nocte bibis? mendacia mecum,
 Indolui, tristemq; vicem miserans populorum,
 Qui Latias duce te sperant calcare curules:
 Sedibus Elysiis vliro digressus, adiui
 Hasce domos; qui te admoneam, stringenda in Etruscum
 Arma latus, Geticoq; adeundam milite Romam.
 Ipsa Palatino residens in vertice Virgo,
 Te vocat, atq; Aquilas bellatrix Gloria frangit.
 Talia voce refert, tacitisq; adsibilat hydris,
 Romuleum obijciens dubia sub imagine Regnum.
 Protinus ille toro erigitur, veteremq; furorem,
 Infractosq; animos, stimulo grauiore resumpsit.
 Haud secus, vndanti fluiuius qui labitur alueo,
 Frangitur obiectu lapidum, seseq; coërcet
 Spumeus; amoto dum tutus ab obijce, primas
 Turgeat in furias, ex more licentius errans.
 Ergo faces missæ rursus ferus Athila pugnae
 Excitat, & Scythicas hortatur voce cohortes.
 Tollite signa Duces, disrumpant classica somnos,
 Inq; omnes redeat ferri calor. omnia pessum
 Vestro Marte ierint, per quem cecidere tot Vrbes
 Europæ, patriq; caput pacauimus Istri.

Cesserit

Cesserit innumeras vna hæc Victoria palmas ;
 Romanas rupisse fores , fregisse Quirini
 Moenia . Vos serie Gothicarum accendere rerum ,
 Est pudor : & paucis insomnia vera referrem ;
 Ni foret , Ausonias qui irrumpere suadet in oras ;
 Me minor . hoc alias alij , fecere : quid Hunnus
 Non super his ausit ? communis laurea mentes
 Occupet : auulsis Latij compagibus ; vltra
 Quid queat Hungarica se dirum opponere dextra ?

Dixerat : assensu cuncta fremuere phalanges .
 Quantaq; per silvas discurrunt murmura ; ramis
 Cum Notus incubuit : tantus ferit æthera clamor .
 Diuellit iam castra loco , dispositaq; ripis
 Armamenta rapit , non segnis in agmine miles .
 Pontibus arctatur Padus ingens , littus virumq;
 Iungitur , & Geticis substernitur vnda manipulis .

Porro & ab Æmphyreis exercitus instrepit oris ,
 Signiferum te , Paule , sequens ; tua iussa capessens ,
 Petre Simon : classes aris seges alta per omnes
 Diuiditur . pars hæc arcus , pars illa trabalem
 Crispat agens hastam : micat acribus illa sagittis ,
 Hæc facibus ; genera armorum vix longa iuendo
 Expedias : legio incedit pennata per auras
 Discolor ; & certo spatiatur nubila ductu .
 Tu quoq; in exitium scelerati Principis , vltro
 Eutropia cum Fratre ; venis : Tu Regibus orta ,
 Vrsula ; Virgineis graderis vallata cateruis ;
 Martyrij Sanctis quamquam latissima signis .

Iam vero Eridani in fluctus vibratur ab alto
 Fulgor , & Angelicæ referitur forma cohortis ,
 Et sonus armorum , flammataq; lucis imago .
 Res ea , Pannonicum dum flumina traicit agmen ,

Non tenuem incussit gelidæ formidinis ictum.
 Pars retro turbata abiit; pars hæsit in iisdem,
 Passibus, immodicis constricta pauoribus; illic
 Pars semet gladijs exterrita confodit; hic pars
 Desilit in vastos sinuosi gurgitis orbes.
 Despicit hos, si quis mentis sustollat acumen,
 Rerumq; eliciens causas, putet omnia secum,
 A geminis Cæli regionibus emanare,
 Vel quæ ab deflexu radiorum distita, crudum
 Frigus alit, proprijsq; opibus succensa, rigentes
 Vertitur in facies. Vel quæ vicinior Axi,
 Aestuat, & rutilus exercet prælia flammis,
 Nec minus in cursu trux hæserat Athila, pigram
 Corde premens glaciem, Paulo vibrante sagittas,
 Frigus agente Petro. Sed iam Leo desuper undas
 Eridani occurrit Geticis Legionibus. olli
 Stipat vtrumq; latus, stricto spectabilis ense,
 Paulus; nudato gladio Bar-Tonius heros.
 Certus militiam Cæli discriminat ordo;
 Et duplici cuneo, florentis honore coronæ
 Romulidem cingit: stat mobilis ora Tyranni
 Nil oculo renuente, tuens; spectantibus æthræ
 Ciuibus, & linguæ illustrem formantibus orsum.
 Interea Patres Hunno dum dira minantur;
 Auscultet ni forte Seni; sacroq; coactus
 Pareat alloquio, atq; aliò certamina vertat:
 Romanus placido sic inchoat ore Sacerdos.
 Inclyte Pannonidum, cuius fax bellica toto
 Terrarum memorata solo, quatit horrida gentes,
 Et quas digrediens ab Eoo cardine Titan,
 Et quas, Hesperijs cum languidus incidit undis,
 Respicit; obliquo Boreas quas sidere; quasq;

Auster:

Auster : quam non immerito de finibus usque
Proiecti Ausonijs, veneratum venimus, æqua
 Has voces, precor, aure hauri : sic proxima votis
 Stent Cæli Astra tuis ; sic grandibus aucta trophæis,
 Hunnica de digno celebrentur nomina cultu.

Naturæ Genitor, *Mundi nascentis in annis*,
Regnorum cum iura daret ; mansura per omnes
Fædera discreuit tractus, subsideret imis
Orbis carceribus vastissima terra ; secundo
Feruerent gremio spumantis regna profundi ;
Æreos legerent tum pondera tenuia campos ;
Hæreret Cælo vigor igneus. hanc quaternam
Materiem lex vna ligat ; neu deuia, discors,
Nexibus abruptis, adscripta ergastula rumpens,
Concordi cinctam vincolo, pulchro ordine textam,
Congeriem, prisca tenebris inuoluat Abyssis.

Atq; adeo exemplo partitæ molis ; & *Orbem*
Latè regnandum Regi non contulit vni.
Hic Pontum Lyciamq; regit, plaga subditur illi
Cappadocum, dorsoq; Cilix male tutus iniquo.

Argentos alij Colchos, arcuq; potentes
Armenios ; alij *Syriam, Solymosq;* coërcent.
Sunt & queis Babylon, sunt & queis Parthia seruit,
Bactraq; , & *extremum quæ respicit India Gangem*.
Huic & Marmaricas circumplicat Africa Lauros,
Huic sinus Aethiopum. *Regio possessa Britannis*,
Vindeliciq; tumens immanis *Rhætia opimis*,
Dat famulas illi palmas, *Tibi Pannonis ora*,
Illyricumq; *latus* ; tibi bellax *Sarmata, Dacus*,
Et quotquot gelidus, glacialibus educat oris
Arctophylax, scythicoq; rigens obit æquore *Nereus*.

Quisq; suo contentus eat. tamen vnde per orbem
 Regnandi

Regnandi male sanus amor? non finibus ille
 Arctatur patrijs, multas dominatur in Vrbes;
 Non avidum fors tanta capit: suspirat in omnes
 Alterius ditionis opes: velut indigus agri,
 Exsuliumq; diu passus, regna extera quarit,
 Inq; peregrina solum sibi destinat aula.

Sic, quem caelestes poterant docuisse recursus,
 Et Mundi melioris opus, confudit iniquus
 Ordo sui, impatiens vnus fornice Cæli
 Obtegi; & innumeros cupidus cognoscere Mundos,
 Astrorumq; acies: tenuit malus error & altos
 Pellæi Iuuenis manes, qui vicerat Orbem,
 Non animæ dux ipse suæ; Macedumq; cohortem
 Primus ad Herculeas protendens vsq; Columnas,
 Ingens, exigua vix nunc includitur Urna.

Tantulus ergo iacet, solum cui prorogat aureum
 Lex Fati breuior. porro hæc trabs aurea, edacem
 Interius cobibens cariem: mare dixeris, anceps
 Quod pepigit fædus volucris cum flamine Cori.

Scilicet externis sedem qui figere in aruis,

Inq; alios seuisse velit; communia rerum
 Is iura, & mundum velit euertisse nitentem:

Et cum frænarit populos, grassatus in omnes
 Sponte plagas, crinemq; ferox diademate multo
 Presserit; incurret Mortem: quæ liuida, inermis

Excubat in vitæ speculis, & falce recurua,
 Maturos, immaturos, rerum omnium egenos,

Florentesq; Ducum titulos, regesq; potentes
 Importuna metit. quid nunc linguenda petantur

Premia? quid vanos toleret mens ægra tumultus?

Quid qui vesanum pressus caligine pectus,

In fora Calicolum stringit sua tela, sacrasq;

Perfurit

Perfurit in caulas, & castos dissipat Agnos?
 Longè, oro, mens ista homini: tutissima, concors
 Perstet in Orbe Fides. Olim Babylonia torquens
 Sceptra Nabuchdônosor, Solymi donaria templi
 Diripiens, sacras lances, & ahænea labra,
 Cymbiaq; , & mensas, auriq; e mole lebethas
 Aufert; septenis qui messibus inter Onagros,
 Infelix lolium, & pallentes ruminat herbas.
 Posteritas commissa luit: Balthassar iniquum
 Sortitur folium; Satrapis regale, superbum
 Indicens epulum, princeps accumbit; at escas
 Lancibus imponit sacris, Calicesq; potenti
 Baccho onerat, vetitoq; miser se proluit auro.
 Ecce autem, dum iussa cohors discumbere, luxu
 Indulget nimio, Regemq; in pocla frequentem
 Prædicat (o superæ miracula incognita dextræ!)
 Protinus adspectat Rex, toto immobilis ore,
 Pariete suspensos digitos, raptimq; volantes,
 Ducentes vltro hæc notas. Numeravit Olympi
 Rex Regnum, dux magne, tuum; & quod deerat, abunde
 Suppleuit, nunc in trutina libraris, & expers
 Plus minima iam parte tui es. iam principe bino
 Diuideris, Regnumq; alio transfertur; & æquè
 Partem Persa minax, adsumit Media partem.

Nec mora, funereos cum Nox accincta cupressus;
 Proferret lacrymosa caput; Chaldaus acuto
 Ense cadit, pœnasq; operis, te vltore, profani
 Rector summe, luit. tales qui exosus ab æui
 Principijs culpas; quia nunc Alaricus easdem
 Tantum ex parte nouat, totam tamen æquus in illum
 Promis vindictam. Sanctam cum perdere Romam
 Excidio, & nostro perfundere sanguine Thybrim
 Discu-

Discuperet: prudens rabidis legionibus acrí
 Nunciat ediclo; ne quis temerarius Vrbe,
 Impeteret ferro, sacras quicumq; sub aedes
 Confugerent, seq; obiecta pietate fouerent.
 Præcipue Petrum reuerens Paulumq;, tepentes
 Cæde manus prona capitis summitteret arce.
 Cumq; furens trepidam miles succenderet Urbem,
 Et Bar-Ioniaca Calices rapuisset ab Aede:
 Continuo cautus sacrata in templa referri
 Iussit, & iratum placari ihure Tetrarcham.
 Sic pius, atq; humili contentus Marte; Pachinum
 Dum petit, & placido componit carbasa ponto:
 Vi lethi subita abreptus, Latialia tantum
 Mœnia calcasse; ab quantum terrore profundo
 Indoluit; tardeq; animos inflexus, amavit
 Haud Romæ tetigisse latus: nunc conditus Orco
 Aestuât; & nigrae sorbens incendia vallis,
 Aeternum perisse velit; tandemq; receptis
 Ignibus, in ventos consumptus abiisse: sed altæ
 Lex prohibet perisse necis. Verum adspice temes
 Athila, circuitu tanti contentus abunde
 Imperij: dubias noli transcribere palmas,
 Qua vindex Deus, instructus cælestibus armis
 Ausonios seruat lymphato a milite tractus;
 Et Capitolinis iaculans de sedibus ignes,
 Hostili ab clypeo Romanum vindicat Orbem.
 Ecquisquam vecors Superos in prælia poscat?
 Aequetur superis humana potentia regnis?
 Nec vero nostra non de ditione triumphas,
 Et sperata refers trepida de plebe Quirini
 Præmia. iam duplex cumulat Victoria fœnus,
 Et maior tua Fama volat. prosternitur vltro

Plantas

Plantas ante tuas Populus, qui Victor utrumq;
 Ambijt Oceanum, cuius nomenq; decusq;
 Aemulus humentum stupuit frenator aquarum.
 Tu tamen extremi domitorem cardinis, alto
 Subjicis imperio: quod si quoq; fræna remittas
 Irarum, & venia populum dignere precantem;
 Ipse tui victor, donabere duplici scepro,
 Nec iam nos fuerit, quam te vicisse decorum.
 Te certe humanæ dudum fastigia palmæ
 Transcendisse vides, nil iam superesse, quod optes;
 Excessisse fidem gestarum immania verum
 Nomina. quid sacros ni demum accedere ad axes;
 Est super, & fieri propius stellantis Olympi
 Ciuibus? ut quos obrueris victricibus armis,
 Incolumes vsq; esse velis, nec perdere eosdem;
 Qui tua submisso verrant vestigia vultu.

Talibus orabat Senior, securus amati
 Fæderis. heroes strictis mucronibus vrgent;
 Promptaq; sidereus circumsonat arma satellites.

O nimium verbi vis indeprenta superni,
 Aetherias complexa plagas, quæ turbine sacro
 Immensum per inane ruis; perq; ora verendi
 Præsidis erumpens, ceu lapsum ex æthere fulmen;
 Frangis caucaseas mentes; & abænea corda
 Mulces igne tuo; quæ tactu mollia, miras
 In species abeunt. Iam non ferus Athila, iam non
 Corde ferox; abijt feritas, abiere minarum
 Nubila. Pax totis exæstuat alma medullis,
 Nomen Pacis amat, toruo Pax aurea in ore est.
 Iam victas dat sponte manus, sanctoq; Parenti
 Supplicat; Italicis reddat se protinus aruis,
 Et meritos Getica referat de gente triumphos.

Se nihil ausurum posthac ; quod regna Quirini ,
 Quod quatiat Latiale forum : verum ille clientem ,
 Mancipiumq; putet ; præscribat iura , catenas
 Inijciat , Scythicas iubeat penetrare paludes ;
 Paruerit : Latijs reddat se protinus aruis ,
 Ingeminat ; lætusq; , loco si cedat , & ipse
 Cesserit : obstare arcanum quid , quo minus inde
 Se abstraxisse queat . super & satis esse minarum ;
 Nil fore , cur stricto ferri mucrone petatur .

Adfistit stupefacta cohors ; quæ sparsa per auras
 Agmina , & expositos bellorum ad signa maniplos ,
 Non capit obtutu : pavidos tamen hauserat ictus ,
 Admirata Ducem ; in Romam modo fulmina , cædes
 Spirantem , & tumido laxantem fræna furori :
 Nunc mitem , accliuemq; solo , pia dicta mouentem ,
 Lambentem tremuli vestigia fessa Leonis .
 Nec mirum . instabat iaculis exercitus omnis ;
 Et nudata Duces vibrabant arma ; proteruus
 Si contra obstasset , Patri & parere negasset .
 Sed plene infracto Lepori quis spicula demens
 Inferat ? implicitis quis tendat retia Thymnis ?
 Post prædam Venator abit ; lætusq; volensq;
 Posthabet , & vacuus patrias vltro petit oras .
 Quid facias , Romane Parens ? secedis , & alte
 Attollens visus , grates agis illico toti
 Militiæ ; in primis geminum dum voce Tetrarcham
 Compellas : se se ex oculis ignobilis Hunni
 Auertant paullum ; pergisq; adscribere palmas
 Vtriq; Hungaricas . Rex circumquaq; rotato
 Lumine , longè alio auctas videt esse cohortes .
 Inclamatq; dolens . Felix Romane Sacerdos ,
 Felix Italiæ tractus : tibi militat Axis ,

Et decimæ Regionis honor, te propter acutis
 Horridus in clypeis Heros latè vnus & alter
 Pugnat; te æternis, in me iurata, trophæis
 Stellantes supra esse globos iubet enthea virtus.
 Flectite iter socij; ripas contendite ad Istri,
 Pannonicumq; orbem: longe attentasse recessus
 Romuleos, huc vsq; sat est: sat voce coronas
 Vsurpasse tuas. Cælo gratissime Thybri,
 Scilicet in patrijs senium componere terris,
 Decretum fixumq; mihi; procul æmula Martis
 Dexterâ; Palladijs reptet mihi paruus in vlnis
 Athila, pacifera frontem redimitus oliua.

Sic ait: & quanto Nilus fluit agmine, septem
 Cum ruit ad portas, & ditat rura Canopi:
 Tanto sublatis insignibus, impiger Hunnus
 Proruit; & rauco resonent cum cornua cantu,
 Nil furiale sonant, nil quo, de more, retinet
 Accensas Bellona acies. Hymenæa canoro
 Aere cient, dubio celebrandas omine tædas,
 Ore iterant rapido præuertunt agmina passu,
 Connubiale gerens vinclum Saturnia Iuno;
 Tristis Hymen sine luce faces; succedit Iacchus,
 Ebria sustentans tremulo vestigia thyrso.

Rem probat euentus, talamos, Strigis omine læuo,
 Dum celebrat, grauidoq; onerat conuiuia Baccho;
 Noctè autem, madidas exsudans marcidus escas,
 Profluum passus calefacti sanguinis, vnca
 Nare vomens animam, specubus damnatur Auerni.

Sed iam cælestis, dimittitur aère toto
 Militia, & superæ legionibus additur aulæ.
 Aëreum pellucet iter; vestita sereno
 Nubila, purpureus non indignatur Olympus.

Protinus

*Protinus Ausoniam repetit Leo: plaudit ouanti
Romulidæ, quæ quæ graditur, gens omnis; & alie
Attollunt humeris, seruatoremq; Latini
Nominis; Hungarici referentem signa Triumphi
Vocibus alternant; structoq; vtrinq; theatro,
Sublimem celso Capitoli in vertice sistunt.*

FINIS.

Laus Deo & B. Mariæ.



AD

AD ATHILAM
HYNNORVM REGEM.



AVSONIAS, i, rumpe fores, inuertere aratro
Mania Romulidum, Rex truculente, para.
At tibi magnanimi sis infringenda Leonis,
Pectore non trepido qui tua castra petit.
Nec vero Herculeæ tibi Virtus inclytæ dextra:
Cede, aut ab forti victæ Leone, iace.

Nicolaus Sensus Sem. Cler.

DE D. LEONE PONT.
ET ATHILA.

EST Labor Alcida, qui iuxta brachia Cancri,
Qui iuxta Erigonen, fulget in axe LEO.
Terret adhuc, si qua in silua stellantis Olympi
Sidere conspicuo Bellua picta fremit.
Est Christi labor, Ecclesia quod Olympicus axis
Splendeat, & gremio sidera sacra gerat.
In grege bissono Astrorum, diuina LEONIS
Signa, lacertosus sunt metuenda iubis.
Terret latrantes eius regionis alumnos,
Extra si qua latret Bellua, sternit humi.
Ab victus pone, Hungarica Canis accola terra;
Aut tua perfodiat viscera dente LEO.

Idem.

DE



DE ILLVSTRISS.

POMPEIO ARRIGONIO
CARD. ET ATHILA.

ATHILA Pannonicis praeceps delatus ab oris
 In iura Italidum, Romuleosq; lares:
 Vincitur inuisita metuendi Soce LEONIS,
 Et fugit ad patrios non rediturus agros.
 Idem POMPEII pedibus nunc subditur vltro,
 Seq; iugi patiens mancipat ecce Patri.
 Heroi ducit satius parere Latino,
 POMPEIO & regnum credit inesse triplex.

Tertius de Alexandris Sem. Cler.

DE D. LEONE PONT.
ET ATHILA.

MVLCET barbaricum leni sermone Tyrannum,
 Atq; alio cogit castra mouere, LEO.
 Vrget & Heroum par nobile; spicula in Hunnum
 Dum parat, atq; habili milite discruciat.
 Abutum Hungaricas rapitur fugitiuus ad Vrbes:
 Ne fuge, ne dubias Athila carpe vias.
 Ne fuge; post paullo si sis moriture Lyao,
 Heroum ad sanctos praesiat obire pedes.

Tullius Nerutius Sem. Cler.

FINIS.

MAN
PTIANE

